

TESTIMONIA ET ELOGIA SACRA, DE  
Philosophiæ antiquitate, & dignitate,

7 N G E N E R E.

CVM Adam Protoplastus à perfectissimo Deo perfectissimus homo fuerit creatus, sapientissimū quoq; fuisse oportet. Cuius quidem indicia manifesta dedit, quando animantibus omnibus nomina apta, & illorum naturæ conuenientia, indidit, *Genes. 2.*

Si igitur spectes, rationem, cuius ductu singulis sua nomina, rei naturam proximè exprimentia, imponere potuit: (quod non est cuiusuis (teste Platone, in Cratylo) sed eius qui rerum essentiam optimè perspectam habet.) Philosophum summum, vereq; Sapientem Adamum fuisse fatendum est. A quo enim vitam acceperat ab eodem & sermonem, omnemque sapientiam liberalissimè consecutus erat. *Theat. V. H. Vol. 4. l. 1.*

Adamum ergo, & filium eius Sethum, & Nepotes, Enochum item, & Noam, omnium Gigantum Sapientissimum, filios, & posteros suos diuinarum & humanarum rerum scientiam docuisse, & quæ à Maioribus acceperant, literis mandasse, Berosus, & Iudæorum Rabini asserunt. *Midd. l. 2. Ac.*

Abrahamum, Philosophum summum, & alios Noæ posteros, optimarum Artium doctrinam, consequenter tum apud suos propagasse, tum Ægyptiorum Sacerdotibus, & Græcorum Philosophis fideliter quasi per manus tradidisse, Eusebius, Iustinus, Tertullianus elegantissimè demonstrant. *ibid.*

Mosen omni Sapientia Ægyptiorum instructum, potentem verbis, & operibus, non modò veteres Theologi, sed ipse Stephanus prædicat, *Actorum 7.*

Solomon rex Iudæorum Arabes, & Ægyptios omnes sapientia superauit. Ipsos etiam Hebræorum Sapientes tunc celebres, Ethanem, Hemanem, Calcholem, Dardem, *3. Reg. 4.* Idem Iesu Christi testimonio sapiens iudicatus. *Math. 12. Luc. 11.*

Edicto Regis, de filijs Israhel, & SEMINE REGIO Principum Iuda eliguntur Pueri, eruditi omni Sapientia, scientes scientiam, & intelligentes scientiarum: qui possent stare in Palatio Regis: vt doceret eos literas, & linguas Chaldæorum, *Daniel. 1.*

Episcopum debere ὀρθοτομεῖν (quod quidem sine Artium, & Philosophiæ mediocri cognitione fieri nequit) *2. Tim. 2.* asserit & monet D. Paulus: qui & ipse Philosophus, linguarum peritus, insignis Logicus, Orator, Concionator, secundum Augustinum, maximus: cum Philosophis disputauit: diligenter Poetas legit, & eorum testimonijs vtitur. *Act. Ap. Epist. Paul. Hieron. ad Algas.*

Philosophia donum Dei est: Donum Dei, & auxilium contra miseras huius vitæ, *Augustinus de Cinit. Dei, lib. 22. cap. 22.*

IN SPE-